

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Venerado domino, Blasio Odesholmio, pastori exxlesiae Dei in Bucu, amico
suo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

dit de omnibus articulis doctrinae Christianae: hoc
 uere adfirmare possum. De Repub. multa scribere
 possem: sed tantum hoc narrabo. Ad Rhenum pa-
 stor Ecclesiae cuiusdam sibi mortem cōsciuit, dolo-
 re recepti libri Augustani. Breui scribam plura, &
 mittam filij carnē, quod curabo edi excusum pra-
 lis, & ornatum. Bene ualete. Die 3 Octobris. Mit-
 to breuem orationem de tribus farinae satis.

Clarissimo utro domino Cancellario salutem opto.
 Hodie ex Anglia literas accepi, ubi doctrina Euan-
 gelij purē traditur, & erunt iam conuentus de con-
 stituendis Ecclesijs. 1548.

Philippus Melancthon.

Venerādo domino, Blasio Odesholmio,
 pastori Ecclesiae Dei in Bucu, a-
 mico suo,

S. D. Venerande uir. Magna pietas, & grata
 Deo est, iuuare bona ingenia, quae literis excolum-
 tur, ut aliquādo seruiant Ecclesiae. Et commendat
 Paulus praecipue singulis domesticos, id est filios et
 cognatos. Est autem in Noha Buchholzero ualde
 bonum ingenium, & dignum quod liberalitate a-
 licuius patroni iuuaretur, ut optime inchoatis stu-
 dijs diutius exerceri posset. Et mores sunt honesti.
 Extant eius scripta multa, quae grauitate sententia-
 rum ostendunt, in eo considerationē & pietatem
 esse.

esse. Ideo ualde uos oro, ut eū iuuetis, donec ei inuenimus honestum locum, ubi mercedem ex labore docendi mediocrem habere poterit. Talia ingenia Respub. debet eligere ad conseruationem literarum, pro utilitate posteritatis. Sed potētes hac cura parum adficiuntur. Deus tamen seminaria aliqua seruat: et ut seruet, eum oremus. Sicut scriptum est: Orate, ut extrudat Deus idoneos ministros. Bene & foeliciter ualete. Die 6 Iunij, 1547.

Philippus Melancthon.

Reuerendo uiro, D. Ioanni N. fideli doctori Theologiae in inclyta Academia Francofordiana, fratri suo colendo.

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Afirmat filius Dei, illum esse beatū, qui inuento margarito, id est agnita Euangelij luce, id margaritum emit, uenditis omnibus possessionibus alijs. Hac uos consolatione, qui exulatis, & patriam reliquistis, confirmate, quod filius Dei uos tuebitur, & beatos faciet, etiamsi comoda magna amisistis. Frucmini autem nunc margarito, id est, amara crustula, doctrina crucis. Talis est & hic Linus noster, qui natus est in gente Scotica: reliquit patriam et opes non paruas, ut ab idolis abesset, & doctrinae limpidos fontes cognosceret. Comperi esse doctum uirum,